

I. N. 7.

MOSES

Seu

DE IIS QUÆ IN MAGNO ILLO
MERITO SUSPICIUNTUR,
DISSERTATIO GRADUALIS,
Sed Brevis,

Quam

*Ex Consensu Ampliss. Ordinis Philos.
in celeberrima Academia Aboënsi,*

SUB PRÆSIDIO,

Viri Amplissimi & Celeberrimi,

M. CHRISTIERNI
ALANDRI,

Eloq. Prof. Regii & Ordinarii,

Publico examini modeste submittit

ERICUS J. FROSTERUS,
Uhloënsis,

In Audit. Max. d. 19 Novembris,

M. DC. XCIV.

Impr. apud JOH. WALLIUM.

Reverendisſimo in CHRISTO
Patri ac Domino,

DN. JACOBO
CANONICO

S. S. Theologiæ Doctori
Consummatiffimo,
Superintendenti Narvenſi
Eminentiffimo,
Conſiſtorii Eccleſiaſtici Præſidi
Graviſſimo,
Scholarum Ephoro Accura-
tiſſimo.

Patrono ſubmiſſâ animo veneratione
eternum proſequendo.

HAs qualescunque cogitationes
subitaneas Reverendis-
simo Patri in animi veneratio-
nis pleni characterem, sum-
mo, sicut par est, Reverentiae
studio offert

Reverendiss. V. Amplitud.

*Observantissimus
cultor*

E. FROSTERUS.

Pl. Reverendis, Clarissimis, Reverendis,

M. PETRO PORTINO,

Pastori in Brahestad & Sala meri-
tissimo, olim Præceptori, nunc Fau-
tori honorando.

GUSTAVO CAJANO,

Pastori in Låhtå vigilantissimo.

DN. GABRIELI GRANÅ/

Consuli Civ. Uhloburgensis æqvissimo.

DN. JOHANNI FORBUS/

Sacellano Uhloënsi primario.

DN. ERICO J. CAJANO,

Sacellano in Paldamo.

Has qualescunque cogitationes
& Fautoribus, in animi venera-
mo sicut par est reve

Vestrorum

Consultiss. & Doctissimis VIRIS,

DN. M. JOHANNI LAIBE

Pastori in Pyhäjoki dignissimo, l
tori colendo.

DN. PETRO KALLON

Pastori in Calajoki fidelissimo.

DN. ERICO E. CAJANG

Pastori in Sääksmäki laudatissimo.

DN. GUSTAVO LITHOVIO,

V. D. Ministro in Limingo primario.

DN. JOHANNI CAJANO,

Sacellano Uhloënsi.

subitaneas vobis Patronis
tionis pleni characterem, sum-
rentiæ studio offert

Nominum

cultor

E. F.

IN VIRUM

Clarissimum & ad sublimia ingeniatum,

D^N. M. ERICUM FROSTERUM

Amicum ad ungvem factum, postquam
eruditam Disputationem, de MA-
GNO MOSE, Magisterialem,
edidisset.

Mos non unquam vita est in-
fidere musca
Ceu jactat Majmon: vix ob-
strepit alter Apella,
Quanto ego FROSTERI sum ju-
dex æquior autem
Nullam illo in maculam si dico
fuisse repertam?

*Quo esset animo, cum pluribus
non vacaret prodidit
paucissimis*

CHRISTIERN ALANDER
Prof: El.

Argumentum præſens tra-
dituro mihi de ſummo
Principe in Iſrael Moſe,
non exiſtimet Benevolus Lector
eſſe animum in hac anguſtia tem-
poris prolixum aliquod opus con-
ſcribere. Etenim ſicut ipſa tem-
poris brevitās rerum brevitatem
maximè poſtulat, ita nec neceſſum
duco, longè lateqve per diverſo-
rum in orbe literato ſcriptorum
monimenta ire. Igitur de Nobili
hac materia pauca nunc chartæ
committam, quæ ſine quæam expe-
dire debita dexteritate, illud tem-
poris brevitati aliorumq; ſtudiorum
curis precor condones. Adeo tuam
cordate Lector mitiorem mihi
promitto cenſuram.

Nativitas Mosis incidisse traditur in Annum Mundi 2372 à quibusdam Chronologis, quamvis huic calculo unum addant vel detrahant annum nonnulli, qui de his rebus copiosissime scribunt: videantur Calvisius in Chronologia, Vossius, Chytræus & alii. Quo autem mense & die contigerit hæc nativitas Mosis, altioris est indaginis, nec à quoquã id exactè posse definiri existimo. Rabinis placet dies quartus, seu septimus mensis duodecimi, apud Hebræos Adar dicti, qui nostro Februario respondet: Vide Joh. Hen Otton. Lex: Rabbincum p. 386. Sed cum hæc sententia meris nitatur Hebræorum conjecturis, facile rejicitur cum nullo substructa sit fundamento, nec solidi quidquam præ se ferat. Curiose nimis quærent sapientes Hebræorū quotus à conceptione fuerit mensis & dies nativitatis? Septimum fuisse nonnulli existimant, hoc ducti præsertim ratiocinio: quod a Parentibus per tres continuos menses absconditus ab

ex.

exploratorum turba securus fuerit Post
 trimestre vero præterlapsum non ausi
 sint occultare Mosen, quia per singulas
 domos inquisitionem metuerint rigidi-
 orem (quæ decimo quolibet mense per-
 agebatur juxta eorum assertionem)
 unde nec infans tunc amplius latere po-
 tuerit. Porro ex genethliaco themate
 Ægyptiis innotuisse nugantur, nativita-
 tem ipsam, & decimum fuisse in ordi-
 ne mensum, quo inquisitio facta est; ex
 quibus concludunt Mosen communem
 vidisse auram septimo mense à conce-
 ptione. Sed quam vana hæc sint ac
 frivola, omnibus constare existimo, qui
 vel minimum hæcce considerant. Æ-
 gyptii enim non scire potuerunt tempus
 conceptionis, imo nec nativitatis, quæ
 absque dubio in occulto accidit. Si e-
 nim hæc perspecta ipsis fuisset, facile
 causa ad Magistratum delatâ parentes
 meritas dedissent pœnas facti sui, & ea
 ratione totam suam familiam in exiti-
 um conjecissent. Sed tale quid Textus

facer non admittit. Sane in sua sententia
 errasse Hebræorum Magistros dicen-
 dum est, quos etiam hoc in casu excu-
 sat Doctissimus Aben Ezra, qui contra-
 rium quoque demonstrat. Vide Varen.
 Disput. in Decad. Mosais. Sed sup-
 ponamus Magos Ægyptiorum & sapi-
 entes cognovisse tempus partus, hinc
 tamen accuratè non potuissent certo
 constituere tempus conceptionis, cum
 valde sit difficile certum præscribere
 tempus partus humani, qui multiplex
 esse solet & de hac re magna adhuc
 dum sit disquisitio apud Doctores Me-
 dicinæ. Hæc ulterius non tangimus,
 sed hujus Scholæ Præceptorum censu-
 ræ committimus, qui forte largientur
 partus septimestres minus esse perfe-
 ctos, & vividos. Hinc videtur hanc
 ipsorum assertionem non quadrare in
 ipsum Moysen, qui elegans dicitur fuisse,
 Exod. 2. v. 2 מִי שֵׁיב ה' ו' confer. Gen: 6.
 v. 2. Gen: 24, v 16. in quibus locis phrasis
 illa de elegantia & pulchritudine cor-
 poris usurpatur. Quamvis nec abso-
 lutè

lutè negandum sit, specialia quædam dari exempla septimo mense natorum, cum iusta corporis proportione & perfectione, sed ea sunt singularia, ad quæ hoc in loco non est recurrendum, cum nulla svadere videatur ratio. Hoc tantum nunc dicimus, quod certum aliquod tempus præscribi non possit nativitati Mosis, nec inquirere audacius in hanc rem volumus, nam quæ Magister maximus nescire nos voluit, cum erudita incitia ignoramus.

§. II.

Parentes habuit Moses honoratissimos, pietate & virtute insignes. Pater nominatur אמרא Amram quod nomen proprium veteres scripserunt per Amram, Græci *αμράν* & *αυβράν*. Epiphanium tradunt contulisse hoc nomen cum Abram, licet Amram & Abram diversissimis scribantur literis initialibus, prius habet *ע* posterius *א*. Exod. 2. v. 1. dicitur fuisse איש מברית לי Vir insignis de domo Levi, quia fuit ori-

oriundus ex profapia Levi & quidem
 Nepos ejus, pronepos Jacobi Patriar-
 chæ. Exod: 6. v. 16, 17. Origo hujus
 vocis est Hebræa & ratione etymolo-
 giæ *populum excelsum* importat, juxta
 Celeberrimum Leusdenium in Onoma-
 stico Sacro. Quod quam apposite con-
 veniat Mosi clarum est, quippe hic am-
 plissimus fuit in familia Levitica, imo
 tantus extitit heros, ut ipsum DEUS ex
 communi mortalium conditione exi-
 mēre voluerit, pro ut loquitur Doctiss.
 Cunæus in lib. 2: cap. 5. de Repub: He-
 bræorum. Hinc videmus solenne fu-
 isse Hebræis nomina cum deliberatio-
 ne filiis imponere, eaque aptare quæ
 futurorum essent ipso etymo vaticini-
 um, quæque ipsorum majorum memo-
 riam excitarent, dum fortunata sive in-
 felicia referrent, uti loquitur Emanuel
 de Naxera in Antiq. Dieterici. Matri
 nomen fuit lochebed, Hebraice **לכבד**
 Exod. 2. v. 6. vocatur **לוי בת** filia Levi, juxta
 nonnullos filia Levitæ cujusdam, h. e. stir-
 pis suæ, Cap. 6. v. 20. dicitur **אמיבא**

Amram, & ita vox hæc in locis illis scripturæ explicatur, in quibus aliquoties occurrit. Conferatur Num: 26. v. 59. ex quo loco evincere conantur Jochebed fuisse filiam ipsius Levi. Versio Græca per *Συζατιοῦ τῆ ἀδελφῆ τῆ πατρὸς αὐτῆ* exponit. Targ. *בת אחת אמהו* filia sororis Patris sui. Plures stant pro ea sententia, quod Jochebed fuerit amita Amram & filia Levi, illud etiam versio Chaldaica per *אחות אמהו* sororem Patris sui exprimit. Quid vero de Conjugio hoc sentiendum sit, de ea re videri possunt Theologorum & aliorum judicia, quorū quidam dispensationem hic agnoscunt divinam, prout in Polygamia Patriarcharum, vide de his Celeberrimi Theol. & Episcop. D. Benzeli Disputationes in vitas Patriarcharum. Quamquam etiam insignis Theologus A. Osiander eam hic præferat opinionem, quâ Jochebed statuitur fuisse cognata solummodo Amram, non amita: vide Commentarium ipsius ad Exod. 6. v. 20.

§. III.

Grassante Tyrannide Pharaonis, clanculum asservatus fuit Moses uti antea diximus, sed cum inevitabile viderent fore Parentes ut diutius domicustodiretur, nisi in præsentissimum se conjicere vellent periculum, exponendum omnino censuerunt. Quem inter lachrymas & suspiria alveo commissum, in arca quadam ad oram fluminis collocarunt, ne rapiditate aquæ abriperetur. Interea dum hæc agerentur accidit, ut Filia Pharaonis quam Josephus & alii Thermutin vocant descenderet e Regio suo Palatio lotionis gratia ad flumen Nilum, quam expiatoriam quidam volunt, in sacris gentilium usurpatam. Vide Gejerum de Luctu Hebræor. Cap. 21. qui ex hoc exemplo & aliis ostendit mulieres Orientalium non fuisse contentas particulari membrorum quorundam lotionem, sed totum corpus fere quotidie munditiei causa lavare consuevisse. Hæc inquam Pharaonis filia Mosen ex aquis extra-

extractum matri suæ Iochebed lactan-
 dum tradidit. De his plura non addi-
 mus, cum clariora sint ex ipsis Bibliis.
 Rabbinus cubitum filiæ hujus in manus
 emissionem excrevisse tradunt, quæ nu-
 gamentum amissa nunc facimus. Post-
 quam jam accrevisset Moses adductus
 est ad Aulam Pharaonis ubi in filium
 adoptavit ipsum Filia Regis. Quæritur
 non immerito, quomodo id fieri po-
 tuerit consensu Regis, qui intensissimus
 Hebræorum erat hostis? Josephus sin-
 gularem venustatem infantis in causa
 fuisse affirmat. Clemens Alexandri-
 nus ex necessitate quadam ob defectum
 successoris Regni, vel prolis illud con-
 tigisse putat. Sed quicquid sit, provi-
 dentia hic Dei singularis agnoscenda
 est. Vide Celeber. Theologos nostri
 Seculi & in eorum numero M. Calo-
 vium & Osiandrum qui hic consulendi
 sunt.

§. IV.

De notatione nominis pauca adduci-
 mus, non quasi nostrarum sit virium
 B inter

inter Doctiss. viros dirimere litem;
 cum in hoc negotio non vulgariter
 de origine vocis contendant. Inpri-
 mis hoc certum est, quod circumciso
 puero pii parentes aliud aliquod imposu-
 erint nomen, cum hoc nomen Moses
 non potuerit esse in circumcissione illi
 datum, uti quidam voluerunt: Non e-
 nim parentibus constare potuit dum
 circumcideretur, quod ex aquis servan-
 dus foret, nisi ad revelationem recur-
 rere volueris. Quodnam vero fuerit
 nomen illud proprium in domo mater-
 na, tacet Scriptura. Veteres Hebræi
 decem fuisse nomina tradunt & hæc
 sequentia: חָבֵר chaber, Patris Amrami
 autoritate ipsi datum, יְקוּתִיאל Ieku-
 thiel, Matris, יִתֵר Sororis, אֲבִי זַנּוּחַ Abi
 Zanuach fratris Aharonis, אֲבִי סוּחַ Abi
 Socho, Kahati, שֵׁמַעְיָה Schemaja, I-
 srahelis, בְּנֵי נַחְמָאֵל filium Nathanaelis,
 טוֹבִיָּה Tobia, סוֹפֵר Scriba. De his
 vide. A; Myller. Gloss. Sacrum. Ab Æ-
 gyptiis vocatus fuit מוֹנְיוֹס Monios se-

cundum Aben Esram. In textu sacro מֹשֶׁה se ipsum appellat. An vox hæc sit origine Hebræa vel Ægyptiaca, nunc videndum est. And, Myllerus Mosis nomen vere Ægyptiacum esse statuit, & adducit quasdam rationes quibus illud adstruere conatur. Præcipua est hæc; quod Pharaonis filia, cum Ægyptia esset, Ægyptiacè quoque locuta est, non Hebraicè. Sed aliud ostendit Celeber. Pfeiffer in Dub. vexatis, hoc nomen non accepisse Mosen à Filia, sed potius, à matre propria, idque ex connexionem textus elicit, ubi מֹשֶׁה שְׂמוֹתַי per plusquam perfectum reddit, hoc modo: & vocaverat nomen ejus Mose, scilicet mater ejus. y. Dub. Vex. p 214 à radice מֹשֶׁה Hebræa deducunt plurimi Theologi & Philologi. Nec absurdum omnino esse ostendit Osiander, filiam hanc didicisse linguam Hebræam, si evictum esset ab ipsa factam esse impositionem nominis. Dietericus in Antiquitatibus Biblicis, statuic

tuit hujus vocis significationem posse referri ad linguam Hebræam & Ægyptiacam, vide p. 238. Sic existimat Aben. Esra. *Forſan didicit filia Pharaonis linguam noſtram aut quæſivit de illa.* Hinc perſpicuum eſt, quid de Caballistarum curiositate ſit judicandum qui אֱלֹהִים per anastrophen idem eſſe dicunt ac אֱלֹהִים ipſum nomen potens, celebre ac magnum.

§ V.

De ſapientia Moſis nonnulla dicenda ſunt, quæ ab ipſo ſpiritu DEI commendatur Actorum 7 v. 22. *καὶ ἐπαιδέυτη Μωϋσῆς πάση σοφίᾳ Αἰγυπτίων.* Hoc factum nō ſine ſingulari DEI providentia accipiendum eſſe oſtendit Dietericus in Antiquit: cujus hic adſcribam verba: *ibi DEUS excitavit Moſen literis inſtructum, ut propriis eorum libris eorum ſuperſtitiones oppugnaret.* Nec dicendum eſt Moſen eruditum fuiſſe in Magia illa Ægyptiorum; quod quidam veriti non ſunt affirmare. Potiori jure verba ipſa ſunt accipienda de literis Ægyptiorum,

& de exercitiis vel disciplinis liberalibus, quæ cum ipsa pietate non pugnant. Cujusmodi vero fuerit sapientia illa, lubet disquirere: nonnulli tradunt fuisse Geometriam, Astrologiam & reliquas disciplinas Philosophicas, dicuntur quippe Ægyptii primi invenisse Geodesiam, quia ad distingvendos agrorum terminos, inundatione quotannis confusos eam excolere primum ipsis necessarium fuerit. Insignis aliàs fuit Ægyptus doctrina Hieroglyphica, quæ ipsos agnoscit auctores. Hæc & plura alia fuisse traduntur quæ salva honestate Moses addiscere potuit. Ex his tamen non inferendum est, Mosen Magiæ quoque vocasse, cum alienum illud fuisse ab ingenio ipsius quivis intelligat & rectius à piis parentibus edoctum omnino fuisse non dubitemus. Tam noxium itaque & detestandum facinus Mofi non est affingendum. Qua in re turpiter hallucinatur Plinius, qui non dubitat asserere Mosen fuisse Magum. Eodem mendacio Berosum delectatum fuisse acce-

accepimus, quanquam à nonnullis supposititia habeantur Scripta ipsius. Imo plures ex veteribus Mosen ex ordine Astrologorum rejecerunt & divinatorem fuisse finxerunt, similem Magis Persarum, Chaldæorum & Ægyptiorum. Aliud demonstrat Doctiss. Dietericus in Antiq. & multo laudabilius sensisse sacerdotes Ægyptios de Mose a quibus Diodorus Siculus intellexisse se scribit, omnium Legislatorum primum fuisse *ἀνδρα καὶ τῆ ψυχῆ μέγαν, καὶ τῷ βίῳ κενώπιον.* Vide Antiq: Diet. ad Gen. 41. v. 8. Apud prophanos innotuisse commemorant, antiquitatum Scriptores, Mosen sub nomine Bacchi, quia omnia ea quæ de Baccho libero Patre prodita sunt convenire videntur cum ipso Mose. Bacchus dictus fuit *ὕδαρινος, Βιμήτωρ,* plura alia attributa videri possunt apud Osiandrum in Exod. Dieter. in Antiq. p. 752, Ursinum in Analectis Sacris. Vossium de progressu Idololatriæ.

§. VI.

Circa tractationem argumenti nostri non injucunda visa est quæstio, an Moses fuerit primus literarum inventor & Antiquissimus Scriptor? Adfirmant quidam utrumque hoc ducti ratiocinio, quod nullum extet scriptum antiquius. Sed hoc argumento illud non obtinent hujus sententiæ Patroni, ea quidem ratione est Moses antiquissimus Scriptor, non absolute, sed inter eos qui extant itaq; Celeber: Pfeiff. in Dub. Vexat. Num. 21. v. 15. Dispiciendum nobis est, num prima literarum & scriptionis origo Adamo vel Mofi sit adscribenda? Qui Mofi hunc honorem deferunt, existimant Deum, cum vellet doctrinam cœlestem scripto ad posteritatem transmittere, nobilissimam hanc artem Mofi inspirasse. Suam opinionem stabilire ac fulcire conantur tali argumento: Si literæ ante tempora Mosis in usu fuissent, absque dubio Moses auctoris tam celebris in scriptis suis fecisset mentionem; memorat enim

enim rerum aliarum inventores, quæ longissimè infra laudes literarum habendæ sunt, Quod cum non fecerit Moses, hinc concludunt primam literarum inventionem Mosi originem debere. Sed decantatum est illud, ante Mosi tempora usum literarum viguisse, nec ex hac argumentatione id sequitur, quod ipsi intendunt. Multæ sanè sunt rationes quæ aliud svadent, & videri possunt, apud Pfeifferum in Dub. Vex: & alios. Sane Adamum inter plurimas easq; cœlestes animi dotes etiam literas edoctum fuisse consentaneum videtur esse veritati, & licet concedendum esset ipsum initio creationis suæ immediate a DEO non accepisse literarum notitiam, tamen ad earum inventionem tandem devenisse censendus est, cum ultra novem secula vixerit. Quanquam in his cuivis suo sensu abundare liceat, interim tamen dicimus eam nobis videri convenientiorem opinionem, quæ literas a Mose non fuisse inventas statuit, sed ante ipsius tempora jam extitisse in or
 br

be existimat. Reliqua quæ dicenda hic essent tempus nimis angustum non permittit adponere, verbo dixisse sufficiat. Socer Mosis sacerdos fuit in Midiana ex iudicio Doctissimorum virorum, quod etiam vox מֹדֵי innuere videtur. Ætatem ad annos 120 produxit. Ex hoc numero 40 in Aula Ægyptiaca, totidem in exilio Midianitico transegit. Tandem absolutâ ætate iussu Dei montem Pisga ascendit, ibique ipsius Dei cura sepultus commemoratur. Josephus in Antiq. hunc ascensum peractum tradit inter communes castrorum planctus & in illa processione funerali sequutam Mo-
sen fuisse universam multitudinem.

SOLI DEO GLORIA.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

1801

